12

EXERCITATIO BIBLICA

HABITA

IN COLLEGIO ROMANO

A PATRIBUS

SOCIETATIS JESU

Anno MDCCLVI. Menſe die

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ROMÆ, MDCCLVI.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI

IN FORO SANCTI IGNATII.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

I. AD Sacræ Scripturæ dignitatem, & commendationem nihil aut præclarius, aut verius dici poteſt, quam quod Deum ipſum habuerit Authorem = non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia (Scriptura Sacra) ſed Spiritu Sancto inſpirati (φερόμενοι) locuti ſunt Sancti Dei homines. = 2. Petri c 1. & Paulus 2. ad Timoth. c. 3. = Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum = πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν. Eſt inſpirara divinitus, & utilis &c.

II. Non ergo eo tantum nomine Divinam vocamus, quod ſolam ſuam aſſiſtentiam, ac providentiam Spiritus Sanctus Hagiographis præbuerit, ne errarent; ſed quia omnia immediate dictavit (in ea ſcilicet lingua, qua ſinguli Libri fuere primo conſcripti) & quidem etiam quoad ſingula ve r-

Digitized by Google

ba, quod ſacrarum Litterarum excellentiam mirifice extollit. Hinc illa pſalmi 44. = Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis = & 2. Regum c. 23. = Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. = Et Iſaiæ 1. = Os Domini locutum eſt, & c.11. Poſui verba mea in ore tuo. Jerem. etiam c.1. = Ecce dedi verba mea in ore tuo: & c.26. ſcribes omnia verba, quæ locutus ſum tibi. = Et de eodem Jeremia dicit Baruch = ex ore ſuo loquebatur quaſi legens ad me omnes ſermones iſtos, & ego ſcribebam in volumine atramento. = Item Apocal.21. dicitur Joanni = ſcribe, quia verba hæc fideliſſima ſunt, & vera = & ſimilia quamplurima.

III. Meritò proinde S. Auguſt. in Prologo ſuper Pſalterium. = Omnis (inquit) Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum. Hac ipſa de cauſa a Spiritu Sancto conſcripta eſt. = Et in Pſalm.90. Conc.2. de ſecunda parte ejuſdem = & hæ inquit de illa Civitate, unde peregrinamur, Litteræ nobis venerunt. Ipſæ ſunt Scripturæ, quæ nos hortantur ut bene vivamus. = Et Lib.1. de conſenſu Evangeliſtarum c.35. docet = nequaquam dicendum eſſe Chriſtum non ſcripſiſſe: quandoquidem id membra ejus operata ſunt, quod dictante capite cognoverunt: quidquid enim de ſuis factis & dictis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tanquam ſuis manibus imperavit. = Similia S. Gregorius in Præfat. Mor. expoſ. in Job, ubi ait = Ipſe hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictavit: ipſe ſcripſit, qui & illius operis inſpirator extitit. =

IV. At

IV. At illud etiam verum, quod ſcripſit Apoſtolus in Epiſt. ad Hebræos c.1. = multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis &c. = Non ergo eodem modo ſe geſſit Deus cum Hagiographis. Aliis enim ita ſcribenda dictavit, ut nihil ferme laboris reliquum ipſis fecerit, ut patet ex textibus paulo ante datis. Aliis ita, ut multum etiam laboris ab iis exegerit. Unde non mirum quod Author Libri 2. Machab. c.2. ſcripſerit = & nobis quidem ipſis, qui hoc opus breviandi cauſa ſuſcepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum, & ſudoris aſſumpſimus. = Et rurſus: = etenim intellectum colligere, & ordinare ſermonem, & curioſius partes ſingulas quaſque diſquirere, Hiſtoriæ congruit Auctori. =

V. Ex his duo alia colligi poſſunt. Primum eſt: Scriptorem Sacrum non ſemper certum eſſe, ſibi eſſe a Deo dictata, quæ ſcribit: atque hinc illa ejuſdem Scriptoris in fine Libri ſecundi = ego quoque in his faciam finem ſermonis, & ſiquidem bene, & ut Hiſtoriæ competit, hoc & ipſe velim: ſin autem minus digne, concedendum eſt mihi = &c. In quo caſu dicendum Deum alteri revelaſſe ſe fuiſſe talis Libri Authorem, puta, vel alicui ex Prophetis Veteris Teſtamenti, vel Apoſtolis in Teſtamento Novo. Unde factum eſt, quod Eccleſia Chriſtiana receperit in ſuum Canonem Libros aliquos Veteris Teſtamenti, quos Judæi non habebant in ſuo.

VI. Alterum eſt quod Spiritus Sanctus in dictando, & inſpirando ſolet ſe aptare non modo naturæ

& hominum conditioni, ad quos ſermonem dirigit, ſed Scriproris etiam doctrinæ, indoli, & ingenio: Hinc Paulus 2. ad Cor. c. 11. vocat ſe = imperitum ſermone, ſed non ſcientia = Et Scriptor Libri 2. Machab. petit veniam non quidem erratorum quoad hiſtoriæ veritatem, ſed Orationis forte minus politæ. Et in hoc etiam ſenſu accipi poteſt illud Iſaiæ 8. = & dixit Dominus ad me: ſume tibi Librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis = &c.

VII. Antonomaſtice Scriptura, & Biblia (Libri nempe omnium excellentiſſimi) vocantur Veteris, & Novi Teſtamenti Libri, quorum Indicem habemus ſeſſ. 4. Concil. Trid. his verbis = Sacrorum Librorum Indicem huic decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, qui nam ſint, qui ab ipſa Synodo recipiuntur. Sunt vero infraſcripti. Teſtamenti Veteris quinque Moyſis: ideſt Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium. Joſue, Judicum, Ruth, Quatuor Regum, duo Paralipomenon. Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum 150. Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, 12. Prophetæ Minores, ideſt Oſeas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus, & ſecundus. =

VIII. = Teſtamenti Novi, quatuor Evangelia ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem,

nem, Actus Apoſtolorum a Luca Evangeliſta conſcripti, Epiſtolæ Pauli Apoſtoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Teſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri Apoſtoli duæ, Joannis Apoſtoli tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ Apoſtoli una, & Apocalypſis Joannis Apoſtoli. Si quis autem Libros integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit. =

IX. Eumdem Indicem Sacrorum Librorum confecerat Concilium Florentinum in Inſtitutione Armenorum, & Concilium Carthaginenſe 3. Can.47., cui interfuit, ac ſubſcripſit S. Auguſtinus. Eundemque probaverat, & Gelaſius Papa in Conc. Rom., & Innocentius I. Epiſt. 3. ad Exuperium. Dicuntur itaque hi Libri Canonici, eo quod in Canonem Eccleſiæ fuerint recepti. Sed quoniam non ſimul, neque eodem tempore; cum de pluribus non levis fuerit aliquando controverſia inter doctores ipſos Catholicos: hinc orta illa diviſio Sacrorum Librorum in Protocanonicos, & Deuterocanonicos: inter eos ſcilicet qui primo, & ab initio tanquam Libri Divini ab Eccleſia, & Patribus fuere admiſſi, & eos, de quibus cum Eccleſia judicium ſuum aliquandiu ſuſpenderit, tandem re diligentius perpenſa, æſtimataque Fidelibus declaravit, atque ut divinos haben-

 dos

dos eſſe, & in eundem Ordinem cum aliis referendos edixit. Unde non mirum, quod in Laodiceno Concilio aliqui ex his non memorentur.

X. Libri Deuterocanonici ſunt: Liber Eſther vel totus, vel certe ſeptem ejus poſtrema capita, Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch, Libri Machabæorum, Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Jacobi, Epiſtola Judæ, Epiſtola ſecunda Petri. Epiſtolæ Joannis 2. & 3. cum Apocalypſi. Partes etiam quædam aliquorum librorum: nempe Hymnus trium puerorum cum Oratione antecedente Azariæ. Hiſtoria Suſannæ, Narratio Belis, & Draconis a Daniele interfecti. Marci caput ultimum, Hiſtoria Lucæ c.22. de Chriſti ſudore Sanguineo, & Angeli apparitione, ac conſolatione v. 43., & 44. Hiſtoria de adultera in Evangelio Joannis cap. 4. & in prima Epiſt. Joan. verſ. 7. cap. 5. Quare etſi Liber ſemel ab Eccleſia poſitive rejectus non poſſit amplius in ejus Canonem venire; poteſt tamen judicium ſuum proferre de eo, circa quod aliquandiu ſuſpenderat.

XI. Ex dictis patet etiam diſcrimen inter Hebræorum Canonem, & noſtrum. Cum in illo deſint Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch, & duo Libri Machabæorum, quos Catholica Eccleſia a Chriſto inſtituta, & Spiritus Sancti ſpeciali directione gubernata Canonicis adſcripſit. Sed cum illi, quamvis non pro Canonicis habiti in magna tamen fuerint exiſtimatione apud Hebræos ipſos, ut pluribus argumentis evincitur, Hæretici eos temere rejicientes Hebræis etiam deteriores merito reputandi.

XII. Ubi

Digitized by Google

XII. Ubi etiam memoratu digniſſima ſunt illa Tridentini Verba in eadem ſeſſione 4. = Inſuper eadem Sacroſancta Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat ut hæc ipſa vetus, & Vulgata Editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat. = Quibus verbis, etſi nihil de Hebraico, vel Græco Textu 70. Interpretum pronunciaverit, quos in ſuæ dignitatis, & æſtimationis poſſeſſione reliquit, illud tamen Vulgatæ Editioni præ cæteris contulit, ut hæc nullatenus poſſit a quoquam rejici præſertim in iis, quæ ad fidem & mores pertinent: circa quæ, ſi quid oppoſitum in iis eſſe aliquis ſibi perſuadeat, illi ex Vulgata, non ex iis Vulgata, emendari debet. Addi etiam debet illud ex tali declaratione conſectarium eſſe, nihil in Vulgata haberi, quod apertæ falſitatis, aut contradictionis convinci poſſit, quamvis ad fidem, & morum ſanctitatem non pertineat.

XIII. Utrum vero Vulgatæ Interpres ita ſingulas voces ac nomina puta Plantarum, Arborum, Gemmarum, Animalium expreſſerit, ut nihil humani lapſus admiſerit, nec aptius potuerit verti non videtur quidem inferri ex verbis Tridentini: nihilominus habenda etiam ante oculos declaratio Emi-

nentiſſimorum Concilii Tridentini Interpretum edita an. 1576., 17. Januarii, nihil ſcilicet affirmari poſſe quod repugnet Editioni Vulgatæ Latinæ, & neque unam periodum rejici poſſe, neque vocem unam, neque Syllabam, neque jota unum, atque ſevere reprehendit Doctorem Vega circa ea, quæ profert lib. 15. de Juſtificatione c. 9.

XIV. Quamvis autem recte Scripſerit S. Gregorius Magnus in Prol. expoſitionis in Job c. 2. = ſupervacaneum eſſe inveſtigare quis peculiariter Librum hunc, vel alterum conſcripſerit: ſicut qui Epiſtolam a Rege accipit, ſollicitus non eſt quo calamo ſcripta fuerit. Quid eſt enim Sacra Scriptura, niſi quædam Epiſtolæ omnipotentis Dei ad ſuam Creaturam, = ait ipſemet lib. 4. Epiſt. 84. Nihilominus id etiam utiliter cognoſcitur.

XV. Primo itaque Sacrorum Librorum Scriptores ſeu Amanuenſes certo fuere ii, quorum nomina ab ipſomet Scripturæ Textu produntur. Tales ſunt Prophetarum Libri, qui in ipſo Prophetiæ initio Prophetæ nomen declarant. Idem oſtendunt omnes fere Epiſtolæ Apoſtolicæ. Cum vero in aliquibus Pauli Epiſtolis ipſius nomen cum alterius nomine conjungitur, v. g cum dicitur 1. ad Cor. Paulus & Soſthenes, & alibi Paulus & Timotheus &c., ex Pauli nomine primo loco poſito recte illius eſſe colligitur, addita etiam perpetua Eccleſiæ traditione. Similiter convincitur Scriptorem Libri ſecundi Eſdræ fuiſſe Nehemiam, non Eſdram, cum & primis Libri verbis id notum fiat, & in toto Libro Nehemias de ſe in prima perſona loquatur. Pro-

XVI. Proverbia, & Eccleſiaſtes Salomonem declarant Authorem prima itidem verba: Eccleſiaſtici tam Scriptor, quam Interpres qui ex Hebræo in Græcum Idioma convertit ab ipſo Libri Prologo declaratur. Græci nempe Textus Scriptor fuit Jeſus Filius Sirach: Hebraici vero Jeſus ipſius Avus. Apocalypſis etiam & ab ipſomet Libro, & traditione Eccleſiæ S. Joannis Apoſtoli eſſe perhibetur. Ipſo item Libri decurſu indicantur & Eſdras Libri primi Eſdræ, & Danielis Prophetiæ ipſe Daniel fuiſſe Scriptores. Canticum Canticorum Salomoni, & quatuor Evangeliſtis Matthæo, Marco, Lucæ, & Joanni ſuum cuique Evangelium traditio ipſa tribuit; Lucæ vero etiam Acta Apoſtolorum. Idem eſt de tribus Epiſtolis Joannis, de Epiſtola ad Hebræos Paulo adſcripta, de Pentateucho Moyſi ſemper tributo: quanquam quæ in ultimo capite Deuteronomii de Moyſis morte referuntur, non ipſius Moyſis de ſe prophetantis, ut putarunt Philo, & Joſephus, ſed a Joſue addita ſint, vel, ut aliis placet, ab Eſdra.

XVII. Liber Joſue probabiliter Joſue ipſum habuit Scriptorem. Libri Regum plures habuerunt: primus enim tribuendus videtur Samueli uſque ad caput 25. in quo refertur ipſius mors. Reliqua primi Libri, uti & ſecundus Gad, & Nathani adſcribuntur. Tertium, & quartum alii Eſdræ, alii Jeremiæ tribuunt. Incertus quoque eſt Scriptor Librorum Paralipomenon, Judicum, Ruth, Tobiæ, Judith, Eſther, & Libri primi, & ſecundi Machabæorum. Sunt tamen qui Librum Judicum, & Ruth Samueli: Librum

Pa-

Digitized by Google

Paralipom. Eſdræ, Librum Tobiæ partim ipſi Patri, partim Tobiæ Filio tribuunt. Librum Judith Pontifici Joachim, Librum Eſther Mardocheo: Librum primum Machabæorum Machabæis ipſis Ducibus Judæ, Jonathæ, Simoni, & Joanni Hircano: ita ſcilicet, ut quæ ſinguli de rebus a ſe geſtis conſcripſerant, Joannes in unum volumen, eandemque ſeriem collegerit. Liber ſecundus Machabæorum eſt Epitome ab incerto Scriptore facta quinque Librorum Jaſonis Judæi Cyrenæi.

XVIII. Librum Sapientiæ aliqui ex Patribus ſub Salomonis nomine citant: ſed aliter viſum Auguſtino, & Hieronymo. Et quidem cum Liber iſte Græcam eloquentiam redoleat, ut advertit S. Hieronymus, Salomonem vero non alio, quam Hebræo Idiomate ſcripſiſſe veriſimile ſit, probabilius tribuendus videtur Judæo alicui Greci Sermonis valde perito, qui Salomonis ſententias hinc inde collectas in unum Corpus compegerit, nulla ferme alia mutatione facta, quam ipſius dictionis, & modi loquendi: unde fieri potuit quod in hoc Libro Salomon de ſe in prima perſona loquatur. Hinc aliqui illum tribuunt Philoni Judæo, non illi quidem, qui poſt Chriſtum floruit, ſed alteri antiquiori, qui Græca locutione Salomonis ſententias expreſſerit Spiritu Sancto dictante.

XVIV. De Pſalmorum etiam Scriptore hinc inde diſceptatur. Quamvis enim ab Auguſtino, & aliis omnes Davidi adſcribantur: alii tamen quinque faciunt Pſalmographos: Moyſem quidem Pſalmi 89. Eman Ezrahitam 87. Ethan Zrahitam 88. Aſaph 49.

72, &

72. & decem ſequentium, cui profecto favent quæ lib.2. Paralipom. c.29. legimus = præcepitque Ezechias, & Principes Levitis, ut laudarent Dominum Sermonibus David, & Aſaph videntis, qui laudaverunt cum magna lætitia &c.=Reliquos 135. ajunt Davidi tribuendos; unde a potiſſima parte Davidis Pſalterium nominari. Sic veriſimile eſt priores unum, & ſeptuaginta Pſalmos ab Ezechia fuiſſe collectos, & ab eodem additam illam appendiculam, quæ legitur in fine Pſalmi 71. defecerunt laudes David Filii Jeſſe. Reliquos vero ab Eſdra collectos prioribus fuiſſe additos.

XX. Circa Librum Job. In primis quod veram hiſtoriam referat, non autem puram Parabolam, ut Lutherus, aliique putarunt Hæretici, non dubium eſt, cum id conſtet ex Tobiæ c.2. Ezechielis 14. & Epiſt. Jacobi c.5. Hanc vero fuiſſe primo deſcriptam a Jobo ipſo Syriaca, ſeu Arabica Lingua affirmat S. Hieronymus, ex Syriaca vero in Hebræum converſam a Moyſe forte dum Soceri ſui Jethro Oves paſceret in Madianitide eo conſilio, ut ſuis maxime Hebræis ſub illud tempus in Egypto graviter afflictis præclariſſimum daretur exemplum patientiæ. Porro præcipua toto Libro agitatur quæſtio utrum ſoli Peccatores a Deo adverſis affligantur in hac vita, an vero etiam pii & juſti. Priorem partem omnino falſam tuentur Amici Jobi, poſteriorem & veram ipſe Job. Conſequenter Verba cum Dei, tum Jobi, quæ Deus cap. ult. probat, infallibilem habent veritatem Canonicæ Scripturæ. Non item Verba Amicorum ipſius, niſi quod ab iis ita fuerint prolata.

XXI. Cir-

Digitized by Google

XXI. Circa Idioma, quo ſinguli Scripruræ Libri ſunt conſcripti, dicendum Hebraice Scriptum Pentateuchum, Joſue, Judices, Ruth, Libros Regum, Paralipomenon, Eſther, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtem, Canticum Canticorum, Prophetas omnes, excepto Daniele, & forte etiam Baruch. Neque obſtat quod aliqua ultima capita Libri Eſther ex Hebraico exciderint. De Eccleſiaſtico teſtatur Hieronymus præfat. in Proverbia ſe Hebraicum vidiſſe, non quidem cum hac Epigraphe: Eccleſiaſticus, ſed cum iſta: Parabolæ. Et ſane Jeſus Filius Sirach Prologo in Eccleſiaſticum teſtatur ſe potius Interpretis functum officio, quam Scriptoris, quæque Jeſus Avus ſuus Hebraice ſcripſerat: in Græcum vertiſſe. Quare præter Prologum & caput ultimum Eccleſiaſtici, quæ ſunt ipſius Jeſu Filii Sirach, probabile eſt reliquum Libri Hebraice olim fuiſſe ſcriptum, quamvis nunc non extet.

XXII. Libri Eſdræ, & Danielis Prophetia teſte S. Hieronymo Chaldaico fere Idiomate ſcripti ſunt, quemadmodum etiam, eodem teſte, Tobias & Judith, quamvis nunc ita ſcripti non reperiantur. Job Syriaca primum lingua ſcriptus, & in Hebræam a Moyſe ut diximus translatus eſt, ita tamen, ut nonnulla Arabica, & Syriaca in ſua etiam verſione retinuerit, ut pariter docet idem Hieronymus. Baruch Prophetia nunc non habetur niſi in Lingua Græca, & Latina: non dubium tamen quin Hebraice, vel Chaldaice primum ſcripta fuerit; vel ſi Hebræi in Chaldæa degentes nativam linguam corruperant, utramque ſimul permixtam adhibuiſſe, veriſimile eſt.

XXIII. Te-

XXIII. Teſtamenti Novi omnia Græce primum fuere ſcripta, præter Evangelia Mathæi, & Marci, & Epiſtolam ad Romanos, & ad Hebræos. Etenim de Matthæo hæc habet Hieronymus lib. de Scriptor. Ecc. = Evangelium Chriſti Hebraicis litteris verbiſque compoſuit, quod quis poſtea in græcum tranſtulerit, non ſatis certum eſt. = Quod etiam ſe Hebraice ſcriptum vidiſſe affirmat. Quod tamen plerique intelligunt de Lingua Hebraica non pura, ſed Syriacis vocibus permixta, cujuſmodi lingua apud Judæos in uſu erat Chriſti & Apoſtolorum temporibus.

XXIV. De Pauli Epiſtola ad Hebræos ita ſcribit idem Hieronymus = Scripſerat ut Hebræus Hebræis Hebraice, ideſt ſuo eloquio diſertiſſime, ut ea quæ eloquenter fuerant ſcripta in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum & hanc cauſam eſſe, quod a cæteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videatur =. Eandem in Græcum Idioma converſam vel a Luca, vel a Clemente Romano probabile eſt, & a Paulo ipſo recognitam, & approbatam, ut ejus fructus ad plures derivaret, & ad Hebræos Chriſtianos in Græcia, & Aſia minore degentes

XXV. Evangelium Marci Latine ab ipſo Romæ ſcriptum plures exiſtimant, & non pauci putant ab ipſo met fuiſſe Græce redditum. Epiſtola etiam ad Romanos ſcripta Latine creditur ab aliquibus: ſed frequentes Idiotiſmi Græcanici probabilius declarant Græce ſcriptam a Paulo: cum præſertim Romani tum temporis Eſſent Linguæ Græcæ ſtudioſiſſimi.

XXVI. Vulgata tota fere a S. Hieronymo fuit vel traducta, vel emendata. Primo enim ab Hieronymi ver-

verſione habeatur omnes quotquot in Hebræorum Canone Libri fuere, præter Pſalterium: nempe Pentateuchum, Joſue, Judices, Ruth, Libri Regum, Paralipomenon, Eſdræ, Eſther totus præter appendiculas in fine Libri; Job, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Prophetæ Majores, & Minores (exceptis paucis in Daniele, Baruch, & Epiſtola Hieremiæ). Duo etiam illi, qui in Hebræorum non erant Canone, Judith, & Tobias, ſic enim teſtantur Præfationes ſingulis a ſe translatis ab eodem præfixæ.

XXVII. Sapientiam Eccleſiaſticum, Baruch cum Epiſtola Hieremiæ, Machabæorum Libros, & appendiculas Libri Eſther habet Eccleſia ab antiquiore Interprete, eoque ignoto. Quæ in Daniele Hieronymus hebræa non reperit, habemus ex Theodotionis verſione, ut refert ipſe Hieronym. Præf. in Joſue, & in Danielem.

XXVIII. Pſalterium vertit quidem etiam Hieronymus, & non parum diſcrepans ab antiqua verſione: ſed antiquam juſtas ob cauſas Eccleſia retinuit, quanquam & iſta fuit ab Hieronymo emendata. Hæc autem quod non fuerit pura illa 70. Interpretum, ſed quæ a Martyre Luciano Hebraicæ Linguæ peritiſſimo ex Hebræo emendata fuerat, teſtatur Hieronymus Epiſt. ad Suniam, & Fretellam.

XXIX. De Interprete novi Teſtamenti non conſtat, niſi quod de Marco Evang. dictum eſt ſupra. Fuiſſe tamen ab initio Eccleſiæ verſionem iſtam, & ab Apoſtolis ipſis viſam & probatam veriſimile eſt, quam poſtea S. Hieronymus, juſſu Damaſi Papæ, ab erroribus, quæ incuria Librariorum irrepſerant, emendavit:

davit: dicit enim de ſe in fine Libri de Script. Eccl. = Novum Teſtamentum Græcæ Fidei reddidi: vetus juxta Hebraicam tranſtuli. = Idem liquet ex præfatione ipſius in quatuor Evangelia ad Damaſum Papam.

XXX. Verſio Hieronymiana Veteris Teſtamenti ab initio multis calumniis lacerata, ut colligitur ex ipſomet Hieronymo, in uſum tandem Eccleſiæ fuit invecta. Ipſo enim mortuo cæpit pluris ac pluris fieri, ut jam paulo ante S. Gregorii tempora, ſeu ante annum 600. in Templis, in Concionibus, & Sacris lectionibus in uſu eſſet, retenta ſimul etiam vetere, quæ Itala dicebatur, hinc utraque S. Gregorii tempore pro Vulgata habebatur, quamvis plus non nihil verſioni S. Hieronymi tribueretur etiam a S. Gregorio ut ex libro 20. Moral. cap.23. habetur. Poſt Gregorium cæpit paulatim vetus editio deſeri, & nova uſurpari, primo quidem Doctorum, & Patrum tacito conſenſu, deinde etiam Eccleſiæ præcepto, ut docet Hugo de S. Victore lib. de Scripturis c.9. eo nomine quod Hebræo fonti purius fideliuſque reſponderet, ut indicant & S. Gregorius, & ipſe Hugo Sæculi XII. Scriptor. Quid nunc de Vulgata Latina ſentiendum, diximus ſupra cum Concilio Tridentino.

XXXI. Senſus in Sacris Scripturis a Spiritu Sancto intentus proculdubio multiplex eſt: unde errant de more Hæretici illi, qui in eis nullum alium a Spiritu Sancto intentum, quam litteralem agnoſcunt. Contra quos ſufficit ille Apoſtoli Textus ad Gal. c.4. = Abraham duos Filios habuit: unum de Ancilla, alium de Libera. Sed qui de Ancilla, ſecundum carnem natus

eſt,

eſt, qui autem de Libera per repromiſſionem, quæ ſunt per Allegoriam dicta; hæc enim ſunt duo Teſtamenta. =

XXXII. Dividitur ergo Scripturæ ſenſus in Litteralem, & Spiritualem. Spiritualis vero, qui & myſticus, ſubdividitur in Allegoricum, Tropologicum, ſeu Moralem, & Anagogicum, unde illi verſiculi.

Littera geſta docet. Quid credas Allegoria.
Moralis quid agas. Quid ſperes Anagogia.

Quorum ſenſuum pulchre ponit exemplum Caſſianus collat.4. c.4. in ſola voce Jeruſalem: quæ vox litteraliter ſignificat Urbem Paleſtinæ Metropolim. Allegorice Eccleſiam. Tropologice animam juſti. Anagogice Cæleſtem Patriam.

XXXIII. Itaque ſenſus litteralis eſt quem verba proprie & ſine tropo ſignificant: Vel etiam quem verba metaphorice accepta ex Spiritus Sancti loquentis intentione primo & immediate ſignificant. Quoniam vero argumenta potiſſimum ex litterali ſenſu trahuntur ut notat S.Thomas 1. Parte q.1. a 10., & S.Auguſtinus in Epiſtola contra Vincentium Donatiſtam; hinc omnino adhibenda, & ſancte ſervanda regula ab eodem Auguſtino tradita Lib.3. de doctrina Chriſt. c.10. ut ſcilicet verba Scripturæ accipiantur in ſenſu litterali & proprio, quoties ex iiſdem ita acceptis non ſequitur aliquid certo falſum, aut indecens; quam quidem regulam antea inſinuaverat S. Baſilius Homil.9. in Exaemer. ubi ait = ego cum fœnum audio, fœnum intelligo. =

XXXIV. Sed jam ex his quaſi proœmialibus Quæſtio-

ſtionibus, ſeu Prolegomenis, & umbratili exercitatione ad ipſa Divinæ Scripturæ penetralia, & intricatiores nodos expediendos vocamur. Qui quidem tot ac tales ſunt, ut merito ſcripſerit S. Auguſtinus Epiſtola tertia ad Voluſianum. = Tanta eſt Chriſtianarum profunditas litterarum ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. = Veriſſime etiam ſcripſit Tertullianus contra Hermogenem circa finem, capitis undecimi = Adoro Scripturæ plenitudinem, qua mihi & Factorem manifeſtat & facta = frequentiſſime enim quod in uno loco ſubobſcure, in alio ejuſdem Scripturæ clare proponitur. Vel certe ex Patrum, & ipſius Eccleſiæ ſenſu aptiſſime intelligi poteſt. Atque hac quidem via, & his argumentis putamus expediri facile poſſe tres ſequentes difficultates, circa quas egregii profecto viri a veritate deflexiſſe nobis videntur.

XXXV. Prima eruitur ex capite Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 7. & Joannis 12. quos omnes textus dicimus loqui de una & eadem Muliere Maria Magdalene, Marthæ, & Lazari ſorore, Chriſti unctrice, quæque primo peccatrix fuit, & de qua Chriſtus ejecerat ſeptem dæmonia, ut dicitur Marci 16., ſeu de qua ſeptem dæmonia exierant ut habet Lucas c.8. poſtea Sancta, & cui primo Chriſtus apparuit ut dicitur in dicto cap. 16. Marci. Non autem fuere duæ vel tres, ut plures docuere.

XXXVI. Altera difficultas petitur ex iis verbis Joſue

Joſue c.9. ubi expoſita Gabaonitarum fraude, & populi murmuratione contra Joſue & Optimates Hebræorum: Hi populo reſpondent. = Juravimus illis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi pejeraverimus. = Quod quidem juramentum illicitum, & invalidum putarunt egregii viri: ſed nos aſſerimus & licitum & validum fuiſſe: imo & Scripturæ ipſi, & rationi id ipſum eſſe longe conformius.

XXXVII. Tertia difficultas verſatur circa verba illa Matthæi 19. ubi dicitur = dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur. = Dicimus ergo potiſſimum contra Schiſmaticos Orientis, neque ob fornicationem uxoris licitum eſſe ita eam dimittere, ut cum alia matrimonium iniri poſſit.

FINIS.

Digitized by Google